¶ Selectæ aliquot legum atque ordinationum Academicarum particulæ, quas D. Procancellarius, quò magìs hoc ſeculo ad neglectum aut deſuetudinem vergere videntur, eò impenſiùs à ſingulis (pro ſuo cujuſque loco atque officio) obſervandas proponit, in virtute juramenti, & ſub pœna quæ incumbit tranſgreſſoribus.

1 SCholares omnes modeſtiam omnibus in locis colant: inferiores ſuperioribus loco cedant, & debitâ reverentiâ proſequantur.

2 In templis ſcholiſque nemo auſit ſedilia conſcendere, nemo in publicis exercitiis indecorum ſtrepitum edere, pedibus pulſando, pluteos cædendo, cachinnando, ſibilando, aut indecenter excreando.

3 Dominicis feſtiſque diebus, dum conciones antemeridianæ pomeridianæque habentur in eccleſia beatæ Mariæ, nemo ſcholaris, abit aut quocunque prętextu adeat conciones in aliis templis.

4 In templo beatæ Mariæ nemo infra gradum Magiſtrorum (niſi menſę Sociorum commenſalis fuerit) intrare præſumat in aream Magiſtris deſtinatam, aut ſuperiora ex utroque areæ latere ſedilia occupare.

5 Nemo galero utatur, aut in collegio, aut extra collegium; exceptis Nobilibus, & Militum primogenitis. Graduati, cum pileis ſcholaſticis, utantur etiam epitogiis: in publicis verò diſputationibus, concionibus ad clerum, ſupplicationibus, & congregationibus univerſis, habitu atque capucio (juxta ſolennem Academiæ formulam) Regentes inſigniantur.

6 A congregationibus Magiſtri Regentes & Non-regentes ſeſe ne abſentent; præſentes verò, nec diſcedant ſine venia, nec diſciplinam gravitatémque tanti Senatus, rixis, clamoribus, tranſcurſibus, conglomerationibus, aut ſubſelliorum ſcanſionibus violent. Bedelli congregationes in ſingulis collegiis ſingulas convocent, atque in collegiis ibi, ubi omnes commodè audire poſſint.

7 Sermo Latinus tantùm audiatur, tam in publicis conventibus ſcholiſque, quàm in menſis collegiorum & familiaribus colloquiis.

8 Lectores publici omnes ſtatis diebus horiſq; diligenter prælegant: auditores lectionem aliquam ejus profeſſionis cui aſſignantur ne omittant: Decani collegiorum monitores ſeptimanatim ſingulos ſingulis ſcholis artium conſtituant: monitores, finitâ ſtatim lectione, ſchedulam abſentium exeuntiumve (pro ſuo cujuſque collegio) alteri Bedellorum tradant, ſub pœna ſtatuti: Bedelli ſeptimanatim deferant ad Procancellarium, ſub virtute juramenti.

9 Inceptores, Baccalaurei, Quæſtioniſtæ, Sophiſtę omnes, Moderatores præcipuè & Diſputantes, ab omnibus invitationibus, comeſſationibus & compotationibus (tam publicis quàm privatis) omnino abſtineant, ſub pœna infamię publicâ ſententiâ infligendę, & ſuſpenſionis ad annũ ab omni gradu ſuſcepto & ſuſcipiendo.

10 Ad publicas Magiſtrorum diſputationes ut exeant è collegiis redeántque honeſto comitatu ſtipati, Decani collegiorum ex ſtatuto curent: Baccalaureorum atque Sophiſtarum ut interſit ſufficiens numerus, Procuratores videant.

11 In diſputationibus omnibus Magiſtrorum, Baccalaureorum, & Sophiſtarum (ſive publicè habeantur in Academia, ſive privatim in Collegiis) nulla neq; oratio, neq; quæſtionum explicatio, à quoquam (Theologis, Juriſconſultis, & Medicis exceptis) de ſcripto legatur, ſub pœna quinque ſolidorum, toties quoties, inter Procuratores atque Bedellos dividendorum.

12 Nemo ſcholaris (publicis privatiſque officiariis exceptis) forum frequentet, vel diutiùs in plateis moram trahat, aut in tabernas, cauponas, diverſoria, officinas pętivendulorum, ædéſve privatas (niſi juſta de cauſa per Procancellarium approbanda) ſeſe immittat.

13 Nemo ocreatus ſimul & togatus incedat: nemo canes venaticos alat, néve baliſtis utatur aut bombardis, aut retia tendat volatilibus, aut venatum eat.

14 In feſtivitate Natalitia nemo cum lychnis aut larvis, néve cum tubis aut tympanis exeat è collegio ſuo.

15 Nemo ſe intromittat in ſolennes conventus (quos Seſſiones aut Aſſiſas vocant) neque in electiones militum Parliamentariorum, aut in luſtrationes armorum.

16 Portæ collegiorum horis ſtatutis claudantur: & nemo ſcholaris extra collegium in privatis ædibus cujuſpiam præſumat pernoctare. Claves portarum singulis noctibus ad cubiculum Magistri aut eo absente presidentis deferantur

17 Quæſtioniſtæ in ſcholas à Patre ſuo producti, Prævaricatores etiam omnes, & Tripodes, & alii Diſputantes, à mimicis ſalutationibus, & rerum politicarum, magiſtratuum, aliorúmve nominationibus, à jocis quoque ſcurrilibus, à geſticulationibus, obſcœnitatibus, Anglicani ſermonis ineptiis, dicteriiſque omnibus penitùs abſtineant, ſub pœna ſuſpenſionis, vel (ſi atrocitas facti poſtulaverit) expulſionis.

CANTABRIGIÆ [redacted] Jan. 7° 1630.

Henr. Butts procanc.

149 a

1630

Orders of ll.

105